



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Tertius gradus Castitatis acribus carnis tentationibus non pulsari. Cap. 7.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

quomodo ex te vulneratus maneam, quomodo possum naturale periculum effugere, quando iam bellum aduersum te gerere Christo pollicitus sum, quomodo tuam tyrannidem superem, ex quo vim tibi inferre delegi? Illa vero aduersus scipiam (ut ita dixerim) respondens ita dicere videbitur: Non tibi loquer, quod ipse non nosci: sed quod simul ambae cognouimus. Ego in me ipsa dilectione glorio matre. Exterioris quidem incendi genitrix, & causa imprimis est eura nimia: atque immodica requies. Porro interioris flamma, motusque cogitationum ex praecedente requie, actibusque præteritis occasio gignitur. Ego cum iniqua concepero, patio sceleris, quæ simul ut nata fuerint, per desperationem generant mortem. Si meam tuamque profundam infirmitatem noris, penitus meas vinxisti manus. Si gula concupiscentia frigeris: meos obligasti pedes ne gradi in anteriora possint. Si obedientia collum submittas, a me disunctus es. Si possideas humilitatem, amputati caput meum. Haec tenuis Climacus.

Tandem Castitatis amator, qui adhuc graibus incentiveis carnis se sentit inquietari, coronam sibi ob viatoriam huius belli paratam ante oculos suos frequenter proponat, ut eius consideratione, & desiderio tantæ impugnationis, viator existat. Meminerit illius similitudinis Pauli verbis inserre: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiunt, nos autem incorruptam.* Quem locum Cassianus luculentissime ad custodiam Castitatis exposuit, illius verba sunt: Illi etenim, qui in agone visibili student legitimè decertare, vtendi omnibus efcis, quas desiderii libido suggesterit, non habent facultatem, sed illis tantum, quas eorumdem certaminum statutæ disciplina. Et non solum interdictis efcis, & ebrietate, omniisque crapula eos necessè est abstinentia: verum etiam cuncta inertia, oratio, arque desidia, ut quotidiani exercitiis iugisque meditatione virtus eorum possit accrescere. Et ita omni solitudine ac tristitia, negotiisque secularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiunt alieni, ut præter exercitium disciplinæ, nihil aliud non erint, nec ylli mundiali curæ penitus implentur: ab eo tantum, qui cerramini præsidet, sperantes quotidiani vietus substantiam, & corona gloriam, condigneque præmia victoria laude conquerire. Atque in tantum se mundos ab omni coitus pollutione custodiunt, ut cum se præparant ad agonum certamina, ne qua forsitan per somnum nocturna delusi fallacia, vires minuant multo tempore conquistas, laminis plumbeis renum contingent loca, quo scilicet metalli vigore genitalibus membris applicato, obscenos humores valeat inhibere: intelligentes se proculdabio esse vincendos, nec iam posse propositum certamen ademptis viribus adimplere, si prouisus pudicitia soliditatem fallax voluptatis imago coruperit. Si ergo tanta & tam difficilia faciebant illi, ut coronam corruptioni obnoxiam acciperent; quid æquum est nos facere, & quanta instantia animi & corporis Castitatem custodiare, qui non coronam corruptibilem in terra, sed incorruptibilem in celo speramus? Domemus ergo carnem nostram, cohibeamus sensus, & insultus dæmonis animose propellamus, quia æternum præmium, non dormientes, & hostis sermones auctoritantes, sed vim nobis inferentes, in cœlesti patria ditemus.

*1.Cor. 9.  
25.*

*Cass. lib.  
6.c.7.*

A Tertius gradus Castitatis acribus carnis tentationibus non pulsari.

### CAPUT VII.

**N**I HIL ita hostium vires frangit, quam hominis in resistendo constantia: qui si non tantum alacriter perseueranterque resisterit, verum & arma de manu aduersarii eripuerit, illos à suis finibus potenter auerter. Sie David tulit arma aurea, quæ habebant serui Adarezer, & tulit ea in Ierusalem, & statim percussit omne robur eius.] Ita & nos cum arma hostium, quibus aduersum nos pugnant, auferimus, & examines eos reddimus, ac vires ipsorum subnerviamus.

Qui ergo per gratiam Domini constanter suæ carnis illecebris obstitit, & assiduis corporis afflictionibus quasi arma ab hostibus abstulit (nam arma luxuria, est corpus nostrum malè dominum) & ea in vita religiosa Domino consecravit, tertium iam Castitatis gradum obtinet, & ad maiorem mentis & corporis mundiciam peruenit. Hic autem est cum quis non ob timorem pœnae, aut ignominiae, sed ob amorem mundiciae, cuius delicias affluevit, Castitatem amplectitur, & non iam assiduas & acras tentationes, a vitio inchoato prodeentes, aut a corpore male domito emanantes, sed ratas, remissas, & quasi a longè incantes patitur. Hunc gradum ex parte regit Augustinus, adhuc ante plenam conuersiōnē suam, qui de cordibus, & dedecoribus à primitiva consuetudine obiecit, ita ait: *Et audiebat eas iam longè minus quam dimidius, non tamquam libere contradicentes eundo in obuiā, sed véluti à dorso müffiantes, & discedentem quasi furtim vellicantes, ut respicerem: retardabant tamen me cunctātem abfere, atque excutere ab eis, & transfilire, quod vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta: Putas ne sine istis poteris?* Sed iam repidissime hoc dicebat. Hæc ille.] Facit hoc in homine gratia Dei auferens armam peccato, in quibus confidebat, scilicet corpus, ac sensus nostros, & ea abstinentia & mortificatione seruire faciens. Cuius gratia regius Psaltes homines ad admirationem, & Domini laudationem, initiat dicens: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, & confinger arma, & scuta comburet igni.*] Hæc inquam Dei nostri opera digna sunt maxima admiratione, & nomen prodigiiorum merentur, quod bella carnis à nostris cordibus abstulit, & quam longissime à nobis ablegauit. Sed quomodo ablegauit? Contribuit arcum, quia corpus nostrum, quod instar arcus ad oppugnandā Castitatem tenebatur, multiplici afflictione extenuauit: Fregit arma, quia membra nostra, quæ exhibebamus [arma iniquitatis peccato] mortificatione cōminuit. Et scuta combusit, quoniam omnia illa, quibus impudicitia se protegebat, igne sancti feruoris absumpserit.

In hoc gradu anima licet pro temptationibus aliquantulum consolopitis gratas agat, & in se magnam mutationem à Domino factam non ignoret; tamen ex alia parte desiderio omnimodæ puritatis accentra, pro ciuis obtentione luget, & gemit. Misit, inquir, factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar. ] Dum scilicet impuras cogitationes, & obscenos motus carnis adhuc exterior, me ipsum adhuc infelicem iudico, & præ confusione curvatus & tristis ingredior. Causa autem meæ tristitiae est, [quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas] mundiciae [in carne mea].

*2.Reg. 8.  
7.*

*August. 3  
conf. c. II.*

*Psal. 45.  
9.10.*

*Rom. 6.  
13.*

*Pf. 37.7.*

Cum

Cum aduersus voluntatem meam hæc immunda in corpore & in cogitatione patior, [afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebā à gemitu cordis mei. Dixa, Domine, ante te omne desiderium meum,] quo perfectam puritatem exopto, [& gemitus meus,] quo eam quotidie postulo, [à te non est absconditus.] Audit Dominus hos gemitus serui sui, sed ad bonum eius non exaudit, ut eum hæc patientem à superbia auocet, & ad humilitatem ac sui despicienciam inuitet. Impletur illud Psalmographi:

*Psa. 26.7*

Vox Domini intercedens flammam ignis. ] Flammam enim ignis libidinis intercidit, cùm partim ad aliquantulum pacem minuit, & partim ad humilitatem perseverare permittit. Quem locum de igne luxuriae Richardus Victorinus expōnit, manifestē id docet, sic scribens: Flammam tamen huius ignis Dominus, cùm voluerit, intercidit, cùm placuerit, penitus extinguit. Quod autem quandoque intercidat vt in parte ardeat & in parte deficiat, hoc scriptura manifestē ostendit, cùm dixit: Vox Domini intercidit flammam ignis. ] Quod autem aliquando huius ignis flammam extinguit, alia scriptura euidenter declarat, vbi legitur: Angelus autem Domini descendit in fornacem, & excusitflammam ignis: & fecit medium fornacis quasi ventum roris flament. ] Vidēsne quomodo ibi dicitur excusisse: hīc permittitur intercidere? Sed cur hīc, quē admodum & ibi non extinguitur? Fortè, quia pueri erant, quibus rogos ille parabatur: sed fortè pueri non erant, quibus David loquebaruntur, nondum plenē conuersi erant, & affecti vt partuli: sed erant adhuc in oculis suis magni, & erubescabant adhuc humiles videri. Sed vt illud, quod in illis, p̄e elatione tumet, exsiccatur, flamma ignis, in parte aliqua reseratur: & iterum ne flamma incendiū usque ad confusum prauitatis eos rapiat, & quodammodo quasi in cinerem redigat, flamma ipsa ex maiori parte abſcinditur, & extinguitur. In parte ergo ardet viliter hæc flamma ad custodiā humilitatis: & in parte magna nihilominus salubriter extinguitur ad cautelam turpitudinis. Hæc ille.]

Scendunt tamen est, tentationes impudicas, quas hic gradus secum compatitur, à vitio luxuriae nondum plenē visio, aut à corpore needum per abstinentiam domito, emanate. A vitio quidem, quod Castitas insula non abſtinet: & aequista, quia adhuc imperfetta est, omnino superare non potuit. A corpore vero, quod quando non edomatur, & in suo robore impinguatum relinquitur, ad impuras voluptates inhiat. Vnde Climus ait: Nonnulla quidem vita ex intims progediuntur ad corpus, quædam vero contraria per corporis sensus ad animam penetrant. Atque hoc ultimum sacerularibus maximè, primum vero illud eis, qui solitariam vitam delegerunt, quod eis materia non adſint, contingere video. Hæc ille. ] Et homo in hoc statu ex tentia Bernardi, needum nomen casti meretur, sed titulo cōtinētis debet esse contentus. Eius verba sunt: Nōta, aliud esse continentem, aliud castum. Luxuriosus & castus, sibi repugnant. Luxuriosus est, motus ſentire, & motibus consentire. Casti est, nec motus ſentire, nec motibus consentire. Continens est in medio utroque lumens, participium: cum altero communione habens motus ſentire; cùm altero, motibus non consentire. Itē existens in medio domus, deorum luxurioso ſursum vero collatus pudico etiū non in mundicia carnis perambulat, tamen in innocencia cordis decantat misericordiam, & iudicium. Iudicium, quod motus ſentiat; misericordiam, quod motibus non consentiat. Itē nolens dimittere

*A* Angelum magni consilij incipiente aurora nouæ lucis, sed petens obnoxie benedictionem perseverantias; etiū non omnino priuari, claudicare tamen metetur altero pede. Qui ſunt duo pedes? Motus ſentire, & moribus consentire. Illud est naturale, iſtud est criminalē. Licet ergo rōndum ignorare possit prauos motus desideriorum, sed adhuc in ipso vigeat pes ifte, per gratiam tamen supernæ benedictionis ita eneratur pes consensus, quatenus etiū ipse trahat, ipſi tamen inniti non possit. Non est omnino fine eo, quia cum repentina cogitatione concutit multoties quædā delectatio, quæ tamen cum ſentitur, gemitu magis quam conſensu extorquet. ] Hucusque Bernardus. ] Vel certè aliter dici potest, hunc ex ea parte, qua amore Caſtitatis eius ſe legibus accommodat, caſtum eſſe: ex ea vero, qua malis cogitationibus impugnat, eſſe continentem. Nam virtus eius in procinctu bellii poſita, & frequenter ad bellum prouocata, needum pace, & delectatione, quæ propria ſolet virtus eſſe, perficitur.

Hæc autem remissior impugnatio carnis, quæ in hoc tertio gradu Caſtitatis tentatur, ex eisdem causis nascitur, ex quibus illa vehementior ſolet exortari. Eam enim efficit ſeminæ minus cauſus aspectus, aut vocis eius auditio, aut progressionis eius conſideratio. Ac proinde ab his omnibus cauere debet, quantum fieri poſſit, qui vult ab impugnationis moleſtia liberari. Oritur etiam ex cogitatione alicuius rei minus honestæ, etiam cum ratione ſtudij bona intentione fuſcipitur. Quare ab his conſiderationibus etiam neceſſarii cripiat ſe ipſum, aut citio eis tranſeat, qui pacem ſui, animi & corporis cupit. Ac tandem (vt diximus) emanat ex vitio nondum ſuperato, aut ex fornicatione, nondum per gratiam abundantiam compreſſo, aut ex ipſo corpore laſciuiente, & ſuperfluitatis humorum cauſa, ad opus, quo exoneraretur, propenso. Ideoque fine villa prævia cogitatione, fine villa noua occaſione, & in ſolitudine poſiti à propria carne expertur ad certamina Caſtitatis. Qua ratione Cyptianus exhortatur clericos ad fugienda conſorta mulierum, vt ſcilicet, quia proprio corpore impugnantur, cauſas non aduocent, quibus impugnatio duplicetur. Certè etiam ſoli cuicunque, ait, quotidiani tritaphi pro Caſtitate non defunt, quia nunquam defertiſſi carnalibus ſpirituſi ceſtati infeſtare corpus humānum, quod Apoſtolus affirmat dicens: Caro concupiſcit aduerſus ſpirituſi, ſpirituſi autem aduerſus carnem: hæc enim iniuciem aduerſant ſibi, vt non quæcumque vultis, illa faciat. ] Habes nunc carnem tuam, quam ſuperes ſemper: Quid tibi vis alteram velle conduceare? Nemo ſuper vnam febre cupit adhibere priorem, ne incipiat hemitritæ infanabilis laborare, cui nullus valeat medicus ſubuenire. Nec aliquis ſuper onus proprium tollit inſuper alienum, ne oneribus duobus opprelſus uſque ad inferos demergatur. ] Cū autem fine nouæ occaſione impugnations iſta ab ipſa natura proueniunt, quid homini faciendum eſt, niſi cum Ezechia clamare, & dicere: Domine vim patior, reponde pro me. ] Et quidem Dominiſis vocatus non deſtit, fed poſt tempeſtatem tranquillum faciet, carnis vo-ces, & querimonias comprefcet, & optatam tranquillitatem efficiet.

Tria itaque hoc tercio Caſtitatis gradu continentur. Primum quod homo eo donatus, vehementiores impugnations à carne ſua prodeuentes non ſentit. Secundum, quod ſensus ſuſos praefertim viſum, auditum, & tactum, ne quoquomodo laedatur, comprimit. Tertium, quod omnem occaſionem

*Cyp. de  
ſe ſingu-  
laris. Cle-  
ri.  
Galat. 5.  
17-*

*Iſa 38.14*

inficiendi scipsum diligenter auertit. Eo ipso quod tentationes remissiores sunt, in spem adipiscendam perfecta Castitatis erigitur, & ab eo, quicepit inimicos auertere, sperat quod aliquando tandem omnimoda victoria donabitur. Quotidie clamat ad Dominum: Manda Deus virtutis tuae: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent reges munera. ] Fas scilicet Domine, ut potentia tua mihi adsit, ut victoria carnis meae, quam dare mihi cœpisti, confirmet atque perficiat. Ita fiet ut propter mundiam, quam anima mea, & corpori meo, ac templo tuo tribuis, omnes iusti, qui hanc mutationem in me factam agnouerint, tibi munera laudationis exoluant. Ut vero sensus tuos comprimit, immitatus sanctum Davidem, qui posuit in Idumaea custodes, statuitque praesidium, & facta est vniuersa Idumaea seruiens David. ] Idumaea enim, qua terrenam, aut consanguineam significat, typus est carnis nostrae, que è luto fuit composita, & ad sanguinem, nimirum ad peccatum, inclinata. Huins ergo portis, id est, sensibus, custodia adhibenda est, & praesidium circumspectionis iuxta eam collocandum, ne ingrediantur rerum similitudines, qua pacem optatam, & ex parte obtentam, interturbent: ut denique occasions fugiat, in seipo castissimi Patriarchæ Joseph opus prefert, [ qui relieto in manu impura mulieris pallio fugit, & egressus est foras.] Ita namque omnia illa relinquit, atque præcedit, quibus protest ad malum trahi, & ad immunitiunem puritatem suæ sollicitari. His autem omniaibus præsidii necdum est omnino pacatus, sed interius temptationibus quatitur, & exterius impuris carnis motibus sollicitatur, & in somnis,phantasmatibus obsecenis illuditur. Eam vero hinc consolationem accipit, quod cum ista nolens perferat, non ad damnationem sed ad meritum valere existimat. Vnde Bernardus: Multa, & dura corporis bella sustinet adolescentia, & calore sanguinis inflammata, ut euadere possit, omni indiget custodia. Quanto plura sunt, quæ impugnant pudicitiam, tanto maiora sunt premia: Quia ubi maior labor, ibi merces erit amplior. ] Bellorum ergo sustinentia, & impugnationum repulsione præmia meretur, donec majori pace portitus, ex perfecta sua carnis victoria in sequentibus gradibus cumulativemercedem prometur.

*Quartus gradus Castitatis: in vigilia temptationibus impudicitiae carere.*

CAPUT VIII.

**P**osse saeum mari tempestatem solent fluctus paulatim mitescere, & post hanc quietiorem eorum turbulam, solet perfecta tranquillitas aduentare. Ita in animabus iustis, quæ feruide, & ex toto corde conuertunt ad Deum, post vehementissimas carnis temptationes, aliae minoris, & remissiores insurgunt: istis vero abeuntibus, eas sequitur quasi pax quadam carnis, & spiritus, & leta quadam ac iucunda tranquillitas. Dixi, animas feruide & ex corde conuersas ad Deum hanc in se mutationem experiri, quoniam quæ tepide incipiunt, & tepide progrediviuntur, semper temptationibus agitantur, donec feruorem solitudinemque in diuino obsequio concipient. Praecepit Eli-

A seus Ios regi Israëlis, ut iactilo percuteret terram, qui cum eam tribus tantum vicibus percussisset, iratus est vir Dei, cùmque reprehendit, dicens: Si percussisses quinques, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunquid autem tribus vicibus percuties eam. ] Sic multi, quia seipso non ad sufficientiam abnegant, nec corpora sua robusta necessaria afflictione castigant, ideo nunquam impudicitiae vitium usque ad consumptionem elidunt. Percutiunt illud tribus vicibus, nempe dum castitatem vident; dum, ut votum implant, se a criminibus abstinent, dum vehementiores temptationes superant: at quia ante tempus à feruida mortificatione, & corporis castigatione cesarunt, nunquam conceputa pacis compotes sunt. Hæc etiam pax ex feruore, & diligentissimè ad Deum conuersione procedit; quoniam si aliqui natura sunt frigidæ, aut ad speciei propaginem minùs apti, ac propterea temptationes non sentiunt; non ob id se perfectam obtinuisse castitatem existimèt. Aliud enim est, quod natura confert; aliud, quod gratia Dei, & adepta virtus attribuit, nec debemus ex naturalibus, sed ex liberis, atque ex his, quæ ab electione proueniunt, aut virtutis substantiam, aut gradus æstimare. Indicium autem dono Dei datae castitatis est, si quis in natura de se ad vitium proclivi, & post expertas ante conuersiōnem impugnationes carnis, amorem in se castitatis videat, & huiusmodi impugnationes ex parte vim suam remissile, aut omnino desuisse cognoscat. Quis enim potuit naturam à tam vehementi passione comprimere, & hostes hominem insequentes fure, nisi ille, qui suâ gratiâ, & immisâ virtute imbecillitatem nostram fulcit, atque sustentat? Deo cecinit post victoriam de Holoferne sancta Iudith: Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. ] Ille profectò tanquam Dominus corpus nostrum, mancipium suum, à carnibus desideriis auocat, & ad pacem cum spiritu habendum inclinat. Ipse ut dux potentissimus hostes puritatis conterit, & insultus carnis nos perturbantes auertit.

In hac ergo pace ac tranquillitate quartus castitatis gradus constitutus est, cum quis scilicet eò usque corpus edomuit, & mentem ad cælestia extulit, vel in rebus vilibus iugiter occupauit, ut vigilans, nullas cogitationes impudicas, nullos sensualitatis motus, & breuiter, nihil in scipo, quod impudicitiam sapiat, aduertat. Quem gradum post alios delineasse mihi videtur sanctus David, cum ita de nauigantibus, & sub typo eorum de tentatis loquitur. Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluectus eius. ] Permisit, inquam, ille iustos suos tentari, & ad probatōnem eorum, quasi faciem sua benignitatis abscondit. Statim autem astitit, atque surrexit spiritus carnalis concupiscentia aduersus eos, & excitata est difficilis ac saeva tempestas. Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eoru in malis tabescet. Ecce insultus acres, ecce impugnationes vehementes, quæ carlos, id est, supremam nostri partem, nimirum mentem, adoriantur, & ad consensum rei illicitæ trahere conantur: & ad abyssum, id est, ad infinitum carnis, descendunt, & eam quasi concupiscentie ignibus inflammat. Qui hæc patiuntur, turbati sunt, & mori sunt sicut ebrios, & omnis sapientia eorum deuota est. Ita enim consilium pœi impugnationis vehementia fugit ab eis, ut vix sciant, quid faciant, aut quod se vertant, ne salutem animæ in disserimen adducant

*Psalm. 67.  
29.30.*

*2. Reg. 5.  
14.*

*Gen. 39.  
72.*

*Bern. in  
formula  
honestæ  
vitæ.*

*4. Reg. 13.  
18.19.*

*Iudith.  
16.5.*

*Psalm. 106.  
25.*